EXCOMMVNICATIO
LATÆ SENTENTIÆ
CONTRA EXTRAHENTES, SEV PERMITTENTES VT EXTRAHANTVR
AC ETIAM MANUSCRIPTA E BIBLIOTHECA
ALMÆ VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS
CLEMENS PAPA X.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Conseruationi & manutentioni librorum Bibliothecæ COLLEGII MAJORIS Vniuersitatis Studii Generalis Cracouiensis quantum cum Domino possumus benigne consulere, ac dilectum Filium RECTOREM dictæ Vniuersitatis specialibus fauoribus & gratiis prosequi uolentes, & à quibusuis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis consuris & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes & absolutum fore censentes. Precibus eiusdem RECTORIS nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quisquã quauis auctoritate superioritate vel Officio fungens Libros, quinterna folia, siue impressa siue manu scripta tam eidem Bibliothecæ per quoscunque Christi fideles donatos & asignatos hactenus, quàm in posterum forsan donañ. & asignan. è dicta Bibliotheca sub quouis prætextu, quæsito colore, causa vel ingenio, extrahere vel asportare, aut commodare, seu vt extrahantur, vel asportentur aut commodentur cosentire audeat quouis modo vel præsumat, sub Excommunicationis latæ sententiæ pœna per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrenda authoritate Apostolicâ tenore præsentium prohibemus & interdicimus, non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis ac dictæ Vniuersitatis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus cæterisq; contrarijs quibuscunque. Volumus autem quòd præsentis prohibitionis copia in Valuis dictæ Bibliothecæ seu alio conspicuo loco, unde ab omnbus cerni posit continuó affixa remaneat, Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem sub Annulo Piscatoris Die XXVI Augusti, M.DC.LXXII. Potificatus Nostri Anno Tertio.

J. G. Slusius